



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 7. Epitheton, quo Corenthum ornauit Horatius, è Græca voce
expressum videri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Imbiberit enim est, hoc sibi planè proposuerit, hoc ita in mente ac cogitatione sua defixerit, vt euelli non queat. est autem ita scriptum omnibus litteris, in longè plurimis vetustis codicibus. sed insolentia locutionis fefellerat alios, quæ Manutium non fugit. meminerat enim ita locutum Lucretium lib. III.

Qui petere à populo fasces, seuâsque secures

Imbibit. & libro sexto,

— non quoddâ violari summa deum vis

Posit, vt ex ira pœnas petere imbibat acres.

vt ergo à Laetretio dictum est, *imbibat petere*, sic à M. Tullio, qui eum poëtam studiosissimè legerat, *imbiberit perducere*. Vfus eodem modo & Liuius libro secundo Annalium: *Neque memor eius, quod initio consulatus imbiberat, reconciliandi animos plebis.*

Epitheton, quo Corinthum ornauit Horatius, è Græcæ voce expressum videri.

C A P U T V I I.

BIMAREM Corinthum cùm diceret Horatius, non dubito quin exprimere voluerit Græcam vocem ἀμφιθάλασος. est autem ea vox non admodum frequens, proba tamen & antiqua: vsusque ea est Xenophon, cùm vrbis Atheniensis commoditates celebraret, doceretque, eam opportuno admodum locositam ad importanda & exportanda quæ opus foret. ita enim loquitur: Καὶ μὴν ἡ ἀπείρτος γέ ἐστι, ὁμῶς ὡσπερ ἴσῳ πάντων ἀνέμοις περιβάλλεται τε ὡν δέ ἐστι, καὶ ἀποπέμπεται ἀβέλει. ἀμφιθάλασος γὰρ ἐστὶ. Hoc eò annotare visum est, quoniam in scholiis Horatianis, quæ abhinc annos quatuor, ad Io. Auansonium V. C. qui tum Romæ Gallorum regis legatus erat, miseram, cùm ceterarum urbium epitheta vnde sumpta essent, indicaf-

B sem;

Ant. Mureti
Varia Lectiones
LIB
28

fem : nescio quo modo contigit, vt hoc, quod minime decuerat, prætermitteretur.

Horatij locus, qui multis in libris corruptè legitur, explicatus. CAP. VIII.

VERSVS hi sunt de secundo Odarum Horatij:
*Viuet extento Proculeius auro,
 Notus in fratres animi patrum.
 Illum aget penna metuente solui
 Fama superstes.*

quorum qui proximè vltimum antecedit, ita in multis libris legitur:

Illum aget penna haud metuente solui.

constat autem ita correctum esse ab aliquo, qui sententiam quidem videret, sed vim verborum non satis perspiceret: putaretque ita meliùs æternitatem famæ significatum iri, si particula illa negandi vim habens adderetur. alioqui fore, vt penna firmitatis inesset ea in fama, cuius pennæ solutionem metuere dicerentur. firmitas enim fiduciam, infirmitas metum parit. at ille, quisquis fuit, inani & friuolo argumento delusus est. nam, quia quæ metuimus, refugimus, longissimeque nos ab iis abducimus, factum, vt Horatius pennam metuentem solui dixerit eam, quæ semper longissime ab omni solutione absutura esset. est autem simile illud Virgilij,

Arctos Oceani metuentes aquore tingi.

nam vt metuentes tingi dixit is, quæ nunquam tingerentur: ita hic pennam metuentem solui, quæ nunquam solueretur: Hoc eo libentiùs annotaui, quòd vt alia multa, ita hoc quoque mendum in eos libros, quibus addita sunt mea scholia, operarum negligentia, me absente atque inscio, irrepsit.

Senten-